



Ad

VIRUM

*Prænobilissimum, Excellentissimum & Experientissimum*

**DN. GABRIELEM  
CLAUDERUM,**

Toparcham Schechvvizii,

Medicinæ Doctorem famigeratissimum, Seren. Electo-  
ris & Ducis Saxo-Gothani Archiatrum meritissimum, & Collegii  
Curiosorum Thesium Primum spectatissimum,

cum

VI. Julii A. C. cl. ðc LXXXVI.

facem

NUPTIIS

FILIÆ UNICÆ,

*Virginis Piusimæ & Pudicissimæ,*

**MAR. ELISABETHÆ,**

cum Patruale opt.

VIRO

*Nobilissimo, Amplissimo & Excellentissimo*

**DNO. FRIDERICO  
WILHELMO CLAUDERO,**

Medicinæ Licentiato &amp; Practico celeberrimo,

*non sine gaudio votisque piis*

accenderet,

*Alloqvium*

**M. Pauli Martini Sagittarii,  
Ecclesiastæ Altenburg.**

Prelo Godofredi Richteri, Duc. Typ.







Annus jam agitur septuagesimus secundus, quo nomen *Clauderianum* hac in urbe, his in terris innotescere cœpit. Innotuit antea in terra Advocatorum *Mosbaci & Neostadii ad Orilam*: illic Pastoris munere Avus *Jacobus* 34. annorum spatio fungebatur; hic Parens *M. Josephus* Conrectoris officio præerat; uterque pietatis, eruditionis & industriæ studio eximium nomen sibi comparaverat. Ex quo autem Venerandus Tuus Pater, Neostadio relicto, *Altenburgum* nostrum, Scholæ moderamen suscepturus, salutavit, quod I. Dec. A. 1614. factum, *Clauderium nomen* angusto quondam angulo inclusum majus subinde innotescendi stadium occupavit. Non adducam, quæ ratione Genitor Tuus singulari in formanda juventute dexteritate *Clauderorum nomen* oris Saxonice commendaverit; nec referam, quæ mira in pangendis carminibus, sacris præsertim, felicitate nomen ad exteros etiam transtulerit, *Poëtæ Christiani* titulum, sic volentibus Summis Theologis *Dieterico, Röbero, Walthero, Sleupnero, Alardo & Hermannö*, Christiano in orbe retulerit; multo minus recensebo, quod Diaconi & Archidiaconi spartas probe, fideliter, impigre & ex salute auditorum obeundo nomen suum seculorum, si quæ futura, memoriæ consecraverit; Sed potius raræ <sup>εὐενίας</sup> & admirandæ in augenda Familia benedictionis mentionem injiciam, quæ *Clauderii nomen* magis magisque inclaruit. Felix erat optimus Parens filiorum proventu, felicior adhuc filiorum educatione. Non satis ipsi erat ex *Barbara Neandera*, castissima & amantissima Conjuge, quatuor tollere filios: affectus, quo tenebatur, tenerrimus ulterius tendebat, non ut molli indulgentia suorum animos corrumpere, sed ut literis bonisque moribus excoleret. Ipse præibat voce & doctrina, ipse moderabatur studia, exemplo, monitis, consiliis & sumtibus singulorum fovebat diligentiam, juvabat profectus, excitabat industriam. Nec vanam lusit operam, sumtus non frustra impensi. Filii expectationi Parentis ex assere respondebant, quin & eandem vincebant. Laudet Roma *Marcellum* suum trium Consulium & unius Prætoris parentem. Extollat Bruga, Saxonie superioris oppidulum, *Gregorium Heinsium*, Consulium suum, qui tres filios *M. Simonem*, primum repurgatæ Ecclesiæ *Witebergensis* præconem, *Gregorium*, Pontanum nominatum, Fride-



Friderici, Johannis & Johannis Friderici, Electorum Saxoniae Cancellarium & tertium Medicum vidit. Prædicet Jena *Johannem Gerhardum*, qui duos Theologiae Doctores Ecclesiae dedit *Johannem Ernestum* & *Johannem Fridericum*, illum Academiae patriae Professore, hunc Ephoriae Eisenbergensis Praesulem, & unum Juris Doctorem *Johannem Andream*, Consiliarium Seren. nostrae Aulae gravissimum. Evehat Colditium *Benedictum Carpsovium*, Viduae Electoralis Cancellarium, lectissima filiorum quadriga beatum, *Conradus*, Administratoris Magdeburgensis agebat Cancellarium, *Benedictus*, Consiliarium intimum Septemviri Johannis Georgii I. *Johannes Benedictus*, Theologiae Professore in Illustri Philurea & *Augustus* Cancellarium Coburgensem. Veneretur Gryphiswalda *Jacobum Rungium*, Ephorum & Professore suum, qui quinque filios summis honorum gradibus reliquit admotos, *Johannem*, Archiatrum Ducum Pomeraniae, *Jacobum*, Aerarii Ducalis Wolgastensis praefectum, *Fridericum* parentis in officio successorem, *Danielem*, J. U. Doctorem, Professore Gryphiswaldensem & Consiliarium Wolgastanum & *Davidem*, Theologum Witebergensem. Altenburgum suum laudabit *Clauderum*, quod quatuor concesserit filios eruditione, dignitate & meritis conspicuos *Josephum*, Phil. & Med. Doctorem, Archiatrum Altenburgensem, *Jacobum*, Doctorem Theologiae & Sacrorum Delitiensium Antistitem, Magni Hulfemanni generum, *M. Israëlem*, Histor. Poet. & Eloqv. in Gymnasio Coburgensi Professore, & *Te Gabrielem*. O felicem Patrem ob tot filiorum honores! O Patrem terque quaterque beatum, cui tales obtigerunt filii! Non enim alia est Senum Parentum gloria, quam filios videre virtute excellentes, effatum est *Antonii de Guevarra*: in illis Patris defuncti memoria semper vivit. Nec desit, quæ Dei est gratia, in filio primogenito *εὐγενία*; Tres siquidem, quos ex Regina *Mænia* genuit filios *Christianum Ernestum*, *Fridericum Wilhelmum* & *Salomonem Augustum*, Jctorum & Medicorum in Illustri Salana Senatus debitis honorum præmiis decoravit. Istum recepit vicina *Cycnea* Physici munus conferendo: illum amplectitur *Altenburgum* langventis naturæ ministrum: hunc *Ronneburgum* admisit causarum patronum. Nec desinet in reliquis, qui à *Claudero* nomen trahunt & originem, quin potius maximam & quemadmodum confido, verissimam spem ulterioris *εὐγενίας* concipio. Quid dicam de admiranda in propaganda Familia *benedictione*? *Decem* liberorum parens factus est *Clauderus*: ex octo superstibus quatuor filiis totidemque filiabus 19. nepotes neptesque lætus vidit, quibus vidua viya st. accessere. Soluta autem placida morte, quæ 24. Dec. A. 1678. obvenit, quatuor & triginta reliquis adjecti feruntur. En insignem Dei benedictionem! *Centum* &

qua-



JK La 5324

quatuordecim Josephum Clauderum Patrem, Avum, Proavum habuere. Numerus equidem eò non ascendit, quò Familia Georgii Pinees ex Anglia tempore Elisabethæ, Angliæ Reginae, in Indiam Occidentalem navigantis, quæ sexaginta annorum intervallo in Insula Penetica 1789, numerasse dicitur: Sufficit *Generi Clauderio* hic numerus, evidens quippe divinæ benedictionis non clausæ monumentum. Perennet hæc benedictio in *Familia Clauderiana*; & non nisi cum fine mundi claudatur. Rata sint semper vota, quæ moribundus Senex thesauri loco suis reliquit, sicut matris *Elisabethæ* natu *Dietrichæ* vota pro filio Scholis destinando rata fuere, quod ipse sequenti disticho inclusit:

Ecce piæ matris valeant quid vota precesqve?

Urbis ego geminæ Ludimagister eram.

Eveniant omnia vota qve, quæ *Gabrieli suo*, pio Aeneæ & Scipioni senii desideratissimo, mater pietissima morti proxima fecit! Evenerunt statim à morte matris, ut plus simplici vice es expertus, & præfenti tempore vires suas exerere videntur, dum *Filiam* unicam eamque dilectissimam ei collocas, qui ejusdem tecum gentis, nominis & artis, ad quem vota avita pari jure spectant. Propagabit ille *nomen Clauderium*, quod Genitor Tuus huic urbi intulit, & cum svavissimo Fratre hucusqve conservasti, non imminutum, sed multis modis clarius ornatiusqve redditum. Propagabit nomen arte Medica, qua morborum tyrannidem oppido nostro, divina adjutus ope, excludet: propagabit prole numerosa, quam *Filia* oculissima prospero edet partu, Teqve cum dulcissima thori Socia eodem gaudio afficiet, quo Parentes Tui: propagabit *Parentis* Avique exemplo. Nec solus propagabit; *Ascanius* enim Tuus per tua decurrens vestigia ætate juvenili ea de se pollicetur, quæ *Clauderio* generi & nomini augmento & ornamento erunt quam maximo. Vigeat in Familia tua *divina*; fores benedictionis divinæ non occludantur, sed reclusæ semper pateant. Sic abundabit numero, honore, opibus: sic immota stabit sententia regii Vatis; *Semini justorum benedicetur*. Benedicat Deus tuo semini! quo ardenti voto præfentes lineolas claudo, non vero affectum, non preces, non studia, quæ nunquam præclusa in me invenies, usque dum vitæ arbiter oculos claudet, coeliqve januam mihi recludet.





F.R. III

X 2047580

*Familia Clauderiana recepit  
setur.*

Za  
5324

Ad  
VIRUM

*Prænobilissimum, Excellentissimum & Experientissimum*

DN. CARRIELEM

Top  
Medicinæ Doct  
ris & Ducis Sax  
Curios

UM,  
hvvizii,  
um, Seren. Electro-  
tissimum, & Collegii  
ctatissimum,

MAR.

Æ,  
icissima,  
BETHÆ,

Nobi  
DNO

Excellentissimo  
ERICO  
AUDERO,

WILH  
Medicinæ

tico celeberrimo,  
piis



M  
Ecclesiastæ Altenburg.

Prelo Godofredi Richteri, Duc. Typ.

